

**Succincta commentatio de peste et febribus pestilentialibus
praeservandis ac curandis ... quam ... praefatione adauctam / luci publicae
asseruit J.F. Trefurth.**

Contributors

Screta, Heinrich, 1637-1689
Trefurth, J. F. (Johann Friedrich)

Publication/Creation

Dresdae : J.C. Zimmermann, 1710.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/zder44mk>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




47529/A
34.
G. VI Soc




25022⁶⁸⁸.

Kudam
23/6/88
















SUCCINCTA COMMEN-
TATIO

DE

PESTE

ET

FEBRIBUS PE-
STILENTIALIBUS

PRÆSERVANDIS

AC CURANDIS.

D. HENRICI SCRETÆ

SCHOTNOVII à ZAVORZIZ,

Medici quondam Scaphusiensium

præstandissimi,

quam,

ob insignem, quâ referta est, eruditionem,

PRÆFATIONE

adauctam, luci publicæ asseruit

JOHANNES FRIDER. TREFURTH

Med. D. & Practicus Dresdensis.

DRESDÆ.

Samptibus JOH. CHRISTOPH. ZIMMERMANNI,


Typis Joh. Christ. Schmidii,

M DCC X. 6

25022

DEO.
SALUTIS. NOSTRÆ. STATORI.
ET.
PROXIMO.
SANITATIS. SUÆ. CULTORI.
SACRA, ESTO, ET. UTILIS.





PRÆFATIO.

LECTOR BENEVOLE,

Quam bono publico erogatam vides, succincta isthæc de Peste præservanda & curanda Commentatio, ex cimeliis est pretiosissimis viri supra laudem nostram positi D. HENRICI SCRETÆ à Zavorziz, qui elogio πολυισότῃ & Franckii à Franckennau, Medicus fuit Scaphusiensium acutissimus & πολυγλώττατῃ, itidemq; elimatis scriptis famigeratissimus. Equidem pauca sunt, quæ publicam lucem viderunt, Scretæ nostri meletemata, nostras saltem oras haud attegerunt, præter enim Tractatum de Febre castr. maligna vulgatâ & Latinâ editum, Observationes quasdam Misc. A N C. insertas, Libellum itidem Gv. ten Rhyne de Hotontottis, Promontorii Bonæ Spei incolis, quem noster cum notulis accura-

vit, & Medicamenta Scretiana, aliquotque ejus Curationes à Clar. Ros. Lintilio in Misc. Med. evulgatas, vix aliud quidpiam typis publicis expressum videre nobis contigit. Plurima autem in manuscriptis hinc inde latent, Observationes scilicet de Febribus malignis, aliæque miscellanæ, nec non Noctes hybernæ in Dispensatorium Augustanum, Pyretographia, Universa Praxis medica, &c. in Præfatione Tract. de Febr. castr. commemoratæ, quarum evulgandarum consilio B. Autor immortalus est. Nec tamen ideó omnino perierunt foetus ejus elegantissimi; sed eâdem ratione, qua plurimi nati sunt, id est privatim, hinc inde sanctè asservantur. Quod enim solet fieri, ut philiatrî, tyrocinio in academiis posito, studiis suis quasi coronidem imponi exoptent, dum Practicum unum, vel alterum, ingenio & felicitate conspicuum sectantur, ejusq; fidâ ad Praxin manu-ductione utuntur; illâ ipsâ intentione Clar. Autor noster à diversis Medicinæ cultoribus, optimæ spei juvenibus, subinde stipatus est, quibus cogitata sua vel

jam

jam exarata benevolè describenda dedit, vel extemplo in calamus dictavit. E quorum numero ipsi dilectissimus quondam fuit Vir celeberrimus, & meritis medicis Saxoniae nostrae, ac suae Wirtembergiae notissimus, D. D. Joh. Georg. Gmelinus, cujus favore, ac consiliis in Praxi quondam profuturis, non secus, ac ille prius Scretianis, ego ipse postmodum gavissus, grat9 id, jam quoque post fata ejus, agnosco, nec minus, occasione sic data, publice deprædico & exosculor Sieboldi, Drexleri, Lipsiensium, & dehinc Westphali Delitiensis, doctissimorum exercitatissimorumque Practicorum mihi faventissimorum, meritoque hinc, quousque vivam, suspiciendorum, præstitam mihi benevolentiam in manu ductione fidelissima. Obtinui ergo tunc temporis à Gmelino, Fautore mei amantissimo, inter alia rariora, e.g. Wepferiana, aliquot Scretiana quoque schediasmata, nominatim: Medicamenta & Curationes quasdam, integram Commentationem de Febris, cujus particula est præsens de Peste hæc, & Chirurgiam succinctam medicam. Memi-

ni & Compendium Materiæ medicæ Ludovicianæ à Scretâ tabellis inclusum penes illum vidisse, sed in tantariorum scriptorum farragine illud neglexisse me jam pœnitet, à Nobiliss. tamen Filio Ejus primogenito, paternarum virtutum & gloriæ in aula Würtembergicâ hærede, discipulo t. t. meo in philologia & philosophia mirè docili, fortè repetendum, Praxin medicam integram in manuscripto quondam vidi apud DD. Ruyffum, eâdem intentione tunc penes B. Gmelinum mecum aliquandiu commorantem. Noctes hybernas in Augustanam quod attinet, illas, quamvis mancas, ex communicatione Raderi se accepisse gloriatur Rothius in elegantissimo libello nuper edito: Pharmacia portatilis, p. 55. videndus. Quod ergo liberum fuit Clariss. Rosino Lentilio, Scretiana quædam in scriniis Hillerianis reperta publicæ utilitati exhibere, hoc & mihi fortasse liberum erit, imò & turbulento hoc statu probitas eò compellere me possit, ut ceu bonus civis commodo publico studendo, ingeniosissimum hoc, consiliisque &

cau-

cautionibus politico-medice haud vulgaribus refertum schediasma in medium proferam, quod fortè, sub benedictione divina, præ multis aliis evulgatis libellis, medicis judiciosi, sanitatis humanæ directoribus, profuturum confido. Nec diffiteor, rem gratam philiatris me facturum, utpote quibus Scretiana inter desiderata sunt, postquam deliciarum harum insignem appetitum editione laudatorum arcanorum his excitavit Lentilius, imo lubentissimè Viro Clarissimo assurgo, optanti, ut ejus vestigiis, ad promovendam hominum salutem, & piè defunctorum famam perpetuandam, plures, penes quos istiusmodi schediasmata delitescunt, insisterent! uti in Miscell. suorum Præfatione loqui, pro candore, quo gaudet, amat.

Etenim, ut nec Jupiter quidem placet omnibus, sic & Scretia noster, licet optimè de re medica meritis, censorem suum invenit Italum Georgium Baglivum, virum præcoci ingenio, doctrinâ, experiendi & observandi dexterritate cæteroquin nemini secundum, in

hoc tamen, quod in viro solertissimo mirum est, nimis præcipitem, ut adeo *ὕψιστον* potuerit, ut Doctissimo Scretæ affricet hypothesein quandam & mendendi methodum, quam absolutè sic nunquam is statuit, imò, si viveret adhucdum, certè tam absurda sibi imputari erubesceret. Verba Censoris in Praxi sua p. 101. sic leguntur: *Henricus Scretæ Dioclis sententiam oblivione ferè consepultam excitans, febres omnes ab inflammatione viscerum deducit, & cum inflammatio obstructionem tubulorum, sive, ut ait, impeditum sanguinis circuitum, præsupponat, idcirco damnatis phlebotomiâ, purgatione, aliisque nimium sanguinis ardorem deprimentibus, sive refrigerantibus remediis, curationem illarum omnium instituit per medicamenta dissolventia, spirituosâ, alcalia, volatilia, & hisce analoga.* Hisce Baglivus insurgit Scretæ nostro, jurene, an injuria? sigillatim censuram hanc examinantes mox videbimus: 1.) Illi hypothesein imputat: quæ omnes febres ab inflammatione viscerum deducat. Sed ubinam pronun-

eiavit tale quid de febribus omnibus? Malignarū quidem causam formalem, seu potius effectum, in inflammatione viscerum collocavit Autor noster perspicacissimus, eò adductus, & convictus experientis ab anatomia practica, & ratiociniis ex phænomenis quamplurimis malignis solennibus, depromptis, uti ex pag. 26. 44. 54. apparet. In simplicibus vero continuis aut nullam p. 59. aut cum Weptero p. 57. leviolem saltem, faciliusq; quam in malignis dissipabilem inflammationem, ceu effectum, admittit. Verba, quæ p. 59. in medium profert, illum satis explicabunt, & hæc sunt: *Affectus hic [Febris castrensis maligna] quem hic tractare suscepimus, à mitioribus continentibus in hoc differt, quod in illa corpus plurimis adhuc crudis corruptisque humoribus, aliisve sordibus, à læsa concoctione provenientius, scateat, quæ hic illic hærentes minima vascula obstruunt, ac inflammationes excitant; cum ex adverso NB. continentes simplices sanguini transsum, propter vires præsentis, ac minorem liquorum lentorem, NB. absq; inflamma-*

tione, post brevem vel mediocrem sudorem, concedant; sic nec intermittentibus inflammationem attribuit. Ejus autem de Febris hypothesis longè est alia, & p. 23. 42. & 43. evidenter exposita, breviter eò rediens: Omnes Febres præsupponere sangvinis aut lymphæ stagnationem circa extrema arteriarum oscula, glandulasque aut tubulos excreantes, eamque vel propter lymphæ cruditatem, crassitiem aut lentorem, five à calida, five frigida causa excitetur: vel à sangvine in grumos concrecente, vel etiam à constrictione glandularum, tubulorū ac arteriarum, circa extima oscula forinsecus à spinâ venenifera, aut sale acido resolutio motus spasticos cientibus, productam, magis vero minusve, febrili commotione exortâ, dissipabilem, facilius scilicet in intermittentibus, continuisque benignis &c. difficilius vero in malignioribus, ubi non saltem inflammationes, sed & nisi hæc mox dissipari valeant, gangrænam & sphacelum, humorumque resolutionem & putredinem, ac mortem post se relinquant, uti p. 24.

fe-

sequentividerere est. Ecquid vero dici potuisset venustius, naturæq; rei convenientius? Nec curiosa minus est illius Febrium in IV. Classes distinctio, continuarum sc. benignarum, intermittentium, malignarum & hecticarum, quam à p. 43. ad 64. usq; consideratius legisse pœnitebit neminem. Jam vero suspicari liceat, quid lynceo aliàs Baglivo præstrinxerit oculos? Certè nil aliud, nisi præcipitantia, & cursoria libelli lectio, quâ præconceptus nec hujus contextum, & forte offendicula ejus maxima, paginam nempe 231. 232. 236. & 267. nec ipsum titulum curatius adspexit. Titulus est: de Febre castrensi maligna, seu Mollium corporis humani partium inflammatione. Quam igitur sententiam de inflammatione partium mollium in malignis fovit Autor, hanc Baglivus illum in omnibus aliis febribus absolutè sic statuere, falso, in negligentiore illo tractatus transitu, præsupposuit. Hic effectus est fugitivi, ceu canis ex Nilo aquam lambentis, oculi! Diluamus jam porro ineptam illi imputatam Medendi methodum,

dum, & 1.) quidem Venæsectionis neglectum. At enim verò absolute illam non damnat, sed distingvendum ait inter subjecta, indolem & tempus morbi, & evidenter p. 232. 265. 266. 267. se explicat. Nec 2) Purgationes omnimodo rejicit, sed fortiores saltem, retentis, si opus esset, mitioribus, præsertim pyrotechniæ svavioribus, tutioribus ac certioribus vid. 267. seq. Nec 3) ipsa Vomitoria in primo statim principio, si verè indicentur v. p. 271. 233. 4) Ardorem nimium deprimentia ubi-vis ut damnet, volatilia vero unicè commendat, hoc tantum abest, ut ex omnibus fere paginis & formulis contrarium obtineat, & singula suo tempore cum judicio discretivo exhibet, nunc enim, & rectè quidem, excitantia in motu depresso & statu mgais maligno, & in lymphâ ab acido seu causa frigida coagulata adhibet, quæ cautelæ p. 23. 262. & 282. prostant, nunc vero in statu magis æstuante, ichoroso, resolutorio motum deprimentia seu refrigerantia, & imprimis acida, aliaque figentia, ad venenum ligandum dilaudat, prout.

prout hoc clarè constare Censori potu-
isset, si saltem in paginam 242. inter e-
volvendū incidisset, totq; formulas ex
analepticis frigidis, acidis, nitrosis, ter-
reis, diluentib9 aqvosis contextas, curio-
sè alexipharmacis volatilioribus inter-
ponendas, ubiqve attendendo, non abs-
que causa has proflare cogitasset. Tan-
dem ad hanc de Peste Commentatio-
nem provoco, ex qua ad ravim usque
constabit, quanti refrigerantia tempe-
rata expertissimus Scretæ noster faciat,
& infrâ exscribenda illius verba ipsissi-
ma rem nostram satis, ut puto, asserent
ac tuebuntur, & optimo Scretæ à Ba-
glivo factam fuisse injuriam, evictura
sunt. Omnes humani quid patimur,
cur nec Baglivus etiam? cū & bo-
nus quandoque dormitet Home-
rus.

Sed satis de his! Immorabimur ta-
men, cum venia Lectoris Benevoli,
Qvæstioni hac occasione in medium
prolatæ paulò diutius; spinosissimæ
quidem, attamen necessariæ: Quid
de Volatiliū in continuīs usu statu-
endum

endum sit? Torfit hæc ingenia Practi-
corum versatissima, usq̄ vedum à seculi
dimidio cœptum est accuratiorem mor-
borū consignare historiam, diversa illo-
rum, pro rerum naturalium ac non na-
tura lium, diversitate phænomena ac
symptomata curiosè attendere, hisq̄ve
medendi methodum cum iudicio di-
stinctivo accommodare. Docuit enim
experientia, & latere hoc curiositatem
Doctorum nostrorum Dresdensium,
Consilium antipestilentiale anno 1680.
elaborantium, uti inibi §. 4. videre est,
non potuit: febrium epidemiarum ty-
pum non solum pro anni tempestate,
sed & illarum constitutione æquali vel
inæquali, humidâ vel ficcâ &c. proq̄ve
temperamentis subjectorum, sangvi-
neorum, cholericorum, phlegmatico-
rum & melancholicorum, ut et pro
diætæ diversitate, variare, ita quidem,
ut vel in distinctis anni constitutioni-
bus, vel in una eademq̄ve, penes tamen
individua temperamentis vel diætâ di-
screpantia, nunc exhibeat symptoma-
ta motus magis deficientis, nunc vero
magis efferati: ibi vix percipitur fitis,
nec

nec æstus, sed omnia potius langvent, & syncope, lipothymia, pulsus maximè debilis, sensus hebetes & torpidi, ac sopor perpetuo animadvertuntur, & juxta Scretam, acidum quoddam lympham coagulans, & spiritus figens indicatur, vel, si cum Chymicis facias, venenum quoddam napellinum; hinc vero effectus sunt plane contrarii, æstus summus, fitis clamosa, capitis dolores maximi, deliria, vigiliæ, diarrhœæ, hæmorrhagiæ, convulsiones, adeoque indicia miasmatis cujusdam dissolutivi, (venenum arsenicale, ac sulphur realgarinum appellant Chymici) se exserunt. Prolixius diversa hæc symptomata recenset Jüngkenius in Praxi sua p. 437. 438. & 421. Hanc ergo constitutionum & temperamentorum differentiam fortè non rectè attendentes Willisius & Sylvius, ille sangvinis & feri coagulationem, hic dissolutionem nimiam in malignis statuens, sibi contrariantur quidem, facilè tamen conciliabiles, cum diversa anni constitutione, & in diversis subjectis, sangvis venâ emissus nunc nil, nisi crustam

coreaceam, sanguineo colore planè
exutam exhibuerit, nunc vero planè
coccineus, & à nexu suo dissolutus ap-
paruerit, ita quidem, ut non amplius
coire, vel coagulari valuerit, vid. Ett-
müllerus in Praxi T. II. 377. a 380. b. &
Jüngkenius l. c. Constitutiones vero
annorum, imo & ipsa individua, epide-
miarum symptomata variare, hoc sa-
gacissimus Observator Sydenhamius in
Morbor. Historia C. 2. p. m. 43. di-
ducit, & non solum prælaudati modo
Dresdenses in antipestilentiali consilio
§. 4. & 7. sed & alii historiam medicam
consignantes, e. g. sedulo indagator Na-
turæ Jodacus Lommius in Observat.
Medicinal Tit. de Febr. pestil. p. m. 34.
diversa symptomata in una eademque
peste enarrantes, sc. nunc soporosa ma-
gis, nunc efferata & æstuantia, omni nos-
scrupulo liberant. His itaque phæno-
menis necessario se accommodare de-
bent judiciosi Practici, & hinc cum di-
versam morborum causam formalem,
tùm medendi methodum eruere, re-
ctè hoc judiciosissimo Sydenhamio no-
bis

bis l. c. inculcante, quando inquit: *Hæc tam aperta prædictorum morborum diversitas, propriis ac peculiaribus symptomatibus ab illis discrepans, medendi etiam rationem ab illis prorsus disparem sibi vindicat &c.* & quâ methodo currente anno ægrotos liberaveris, ipsâ, anno jam vertente forsitan è medio tolles &c. Proxima quidem causa omnium febrium, benignarum & inalignarum, in miasmate quodam febrili sanguinis mixturam seu systasin turbante, vel magis minusve destruyente, videtur consistere, ita quidem, ut in benignis miasma illud sit benignius, hincq; facilius ex massa sanguinea, sudore mediante; proscribi possit, ac subjugabile sit; in malignis vero illud ipsum existat malignius, terminos naturæ excedat, calidi innati, seri & sanguinis vincula, nexum & proportionem magis violenter resolvat & destruat, ut subsistere vix possint, sed periculum subeant destructionis, juxta Clariss. Wedelium Path p. 28. verbo: ad putredinem ruant, & conformant huic sententiæ se omnes fere Neoterici, e. g. Doctissimus Ettmüllerus T. II.

p. 376. a. & Medicorum par nobiliffimum, Medicinæ incremento natum, famigeratiffimus Fr. Hoffmannus & G. E. Stahlius, uterq; nobis fufpiciendus, in fcriptis fuis exafciatiffimis, omnia naturæ convenientiùs expendentes. Quomodo vero miasma hoc, five figens fit, five diffolvens, fyftafin tandem fangvinis relaxare & deftruere poffit, in hoc problemate folvendo tum Screta nofter p. 23. tum Wedelius Fac. M. M. 164. 165. &c. AM. Mat. Med. p. 324. ut & Jungkenius in Praxi p. 421. ingenium fuum comprobarunt. Proportio enim requiritur inter partes fangvinem conftituentes, fangvinem nempe κατ' ἐξοχίν, feu sulphur ejus; & ferum, ita quidem, ut sulphur decenter explicetur ac fero temperetur. Quod fi ergo sulphur nimis explicatur & effervefcit, exficcatur ferum, partes inflamman- tur &c. Quod fi vero ferum coagula- tur, figitur & sulphur fangvinis, fpiri- tusque hinc generantur torpidi, & mo- tus putredinosus, utut lentior, exfurgit, ficq; nexus non minus deftruitur. Re- cte hinc Wedelius, ut fupra jam innui,

ma-

malignitatis causam formalem in texturæ sangvinis vel turbatione vel destructione, à maligno miasmate exortâ collocat, & hinc duplicem malignitatis effectum, ichorescentiam & coagulationem de Fac. Med. 164. & Amœnit. 326. 329. asserit. Hisce præmissis omnium Alexipharmacorum & Bezoardiarum operatio videtur in hoc versari cardine, ut miasma destructorium, seu venenum figatur, temperetur, & concentratur, & quantocyus ex massa sangvinea proscribatur & 2) sangvinis & feri vinculum sartum tutumq; confervetur, & cum ichorescentia, tum coagulatio feri præveniantur, effectus periculosisimi ac destructorii. Profluxerunt indicationes hæ ex Chymicorum laboratoriis & ingeniis, phænomenis tamen pathologicis optime quadrant, hincqve ab Ettmüllero II. 383. a. 1473. a Scretâ l. c. 234. Hoffmanno Patre in Meth. Med. p. 51. 140. & Bechero in Phys. subterr. L. I. S. V. c. I. n. 13. sq. defenduntur. Sed illas ipsas in effectum deducere, hoc opus, hoc labor est. quia contraindicantes sunt, vix enim sine

comotione sanguinis excludes morbo-
 sum feminium, & hæc vero vel paulò vio-
 lentior vinculum posset dissolvere. Sed
 varia Practici excogitarunt media &
 cautelas, quibus hæc contraindicantia
 conciliare possimus, & hic obtinet ada-
 gium: Medio tutissimus ibis, verbo:
 volatilia moderanda fixis sunt. Sunt
 autem ex recensione toties citati We-
 delii Bezoardica vel *magis primaria*,
 partes oleosas sulphureas tutantia, ne
 vappescant, & feminium malignum ex-
 cludentia, *eaque tum intendendo & ve-*
getando sulphur, nempe balsamica sul-
phurea, amara, aromatica, oleosa, ange-
lica, carlina, camphora, vel balsamica sa-
lina, volatilia & mixta, spir. C. C. eboris,
 Tinct. bezoard. & pl. tum sulphur concen-
 trando, acida in primis & alia. *Secundaria*
 vero magis effectum respiciunt, vel disso-
 lutoriū, vel coagulatorium, hunc ne pro-
 gressum faciat, tempestive impediuntia:
ichorescentiã impediunt adstringentia,
 austeriuscula, mucilaginososa, terrea ab-
 sorbentia, & fermentū resolutivum præ-
 cipitantia, nec non acida, opiata &c. *Coa-*
gulum seri dissolvunt salina nitrosa, vo-
 latilia

latilia urinosa, Mercurialia, cinnabari-
na. Hæc omnia dicuntur Bezoardica,
utut diversissime, deq; his Wedelius di-
cit: *Promiscuus usus non convenit, sed
prout distincta sunt in volatilia, media
& fixa, nunc in hac morbi constitutione,
in his vel illis subjectis, his vel illis tempo-
ribus morbi, hæc vel illa magis in usum
sunt trahenda.* Id quod prolixè
diducit Vir Celeberrimus in Facult. p.
165. seq. Amœn. p. 231. & imprimis 334.
quò, ne tœdio simus, L.B. remittimus.
Ut tamen Wedeliana illustremus exem-
plaris instar in medium prodeat Ludo-
viciana Methodus, fidelissimè exposita
quæ in Pharm. Edit. Goth. in 120. p. 218.
ita legitur: *In malignis, præmissis uni-
versalibus si opus est (raro tamen requi-
runtur) cura felicissime absolvetur, si ma-
lum primo per Mixturam simplicem soli-
tariam, aut (in vomitu symptomatice)
guttis aliquot tincturæ anodynæ fortifi-
catam, vel etiam per spiritum C.C. ac con-
similes volatiles infringatur; residuum
una alterâve pulveris bezoardici (qui
tamen etiam in mitiorum nonnullorum
initis per se, aut diversimodè exaltatus*

sufficiet) dosi subigatur: ac tandem circa
 statum corallinis, cancrinisve (cum & si-
 ne cornu cervi philosophicè calcinato))
 quasi absorbeatur; interpositis, pro cir-
 cumstantiarum ratione, contra siticulo-
 sitatem quidem, vel solo spiritu salis,
 clyffo aut rore minerali (in potu) vel
 etiam ipso nitro, (si vomitus ac diarrhœa
 absit) in anxietatibus vero illis malignis,
 etiam circa statum nonnunquam repul-
 lulantibus, tertiâ vel subquadrupla
 tantum, non completâ (ne nimis commo-
 veat) repetitâ tamen, si opus fuerit. Mix-
 turæ simplicis, aut spiritus volatilis, vel
 etiam electuarii alexipharmaci dosi: in
 nauseis demum, diarrhœis excessivis, vigi-
 libus, inquietudinibus nimis &c. Lau-
 dari (quovis modo obnupti, vel aliis as-
 sociati.) grano præterpropter, ante
 & post statum urgente necessitate, ut
 perquam proficuo, ita tutissimo; si mo-
 do Ungaricas exquisitas, opiata, circa
 statum (interferventia deliria) visa
 commodè vel impune, melius autem in
 declinatione demum, si necessarium fue-
 rit, admittentes, excipimus. Metho-
 dum etiam Scretianam, si paucis han-

complexam videre ames, ex manu-
 scripto de Febris huc excerptam ha-
 be, non minus elegantem: *In Curatio-
 ne, inquit, Hungaricarum, & omnium
 malignarum, ubi constat expulso celeri
 & frequenti massam sanguineam nimis
 esse attenuatam ac discerptam, sive id
 ortum sit ab effervescencia putredinem
 inducente, vel abusu calidorum attenu-
 antium, non neglegantur NB. acido-car-
 diaca, quibus massa sanguinea iterum
 tonum & consistentiam acquirit, alias
 solis diaphoreticis & alexipharmacis al-
 calinis & aromaticis, sulphureisq; ægrum
 adhuc in pejorem statum poneret. Con-
 stat enim sales volatiles, tam urinosos,
 quam aromaticos, diutius in hisce febr-
 bus usurpatos adhuc majus incendium
 accersere, unde spiritus omnino profl-
 gantur, & massa sanguinea majorem in-
 de colliquationem patitur, quæ tamen
 usu acidorum evitari possunt, uti de Febr.
 castr. p. 242, dictum est, Accidit vero in-
 terdum, ut naturâ ferè succumbente, eè
 tempore coagula circa cor, vel corpora
 pituitosa, deficientem vel intermitten-
 tem pulsum efficiant, quo animadverto*

Medicus audacter volatilibus urinosi
coagula resolvat, quemadmodum in
tractatu nostro citato Sect. 3. c. 3. p. 262.
& Sect. 3. c. 2. p. 236. notas dedimus,
 Videas ex his obiter, quam immerito
 à Baglivo vapulet Scretæ expertissimæ.
 Plures cautelas circa Bezoardica reli-
 qverunt nobis Ettmüllerus T. II. p. 343.
 b. 384. a seqq. Ludovici in Pharmacia
 p. 261. 263. 283. 293. Jungkenius in Praxi
 431. 432. 437. 438. 441. Fr. Hoffmann-
 nus Meth. Med. p. 51. 140. 205. & qui
 cæteris glaciem in vera malignarum
 curatione, Ludovico & jam nomina-
 to Hoffmanno testibus, fregit, Andre-
 as Cnœfelius *Methodo medendi febres*
epidemicas & pestilentiales, utut hic
 Paracelso & Helmontio multum de-
 beat. Hæcque circa volatilia & fixa
 consideratio non solum in epidemicis
 malignis locum obtinet, sed & maxi-
 mè malignis & pestilentialibus. Et fal-
 luntur certe, qui in quacunque pesti-
 lentiali constitutione, posthabitis omni-
 bus alexipharmacis aromaticis, the-
 riacalibus, & volatilibus, camphoratis
 &c. solis Pulveribus bezoardicis præ-
 cipi-

cipitantibus nitratis, & medicamine
quodam solari, vixq; admiffâ Tinctu-
râ bezoardicâ, omne punctum absolve-
re constituunt. Exercitatissimus Ludo-
vici aurem his vellicat, qui in malignis
neq; Pulveribus solis neq; ipsis solaribus
fidendum esse asserit, sive pulveres hi
sint antimoniales Pharm. p. 259. 325. 328.
& de Sale vol. Tart. 88. sive sint ani-
males, viperini, 297. ipse lapis bezoar
239. 296. 297. 124. 161. sive & sint muli-
ercularum evporiston, cardui benedi-
cti nempe pulvis, qui in paulo mali-
gnioribus nimis est languidus, v. p. 250.
de solaribus vero conferatur p. 358. 359.
228. 328. 364. Acclamat his expertus
Wedelius Fac. Med. p. 164. *Præcipi-
tantia, ut Cornucervi ustum, unicornu
fossile, lapis bezoar orientalis & occiden-
talis, non peculiari alexipharmacâ vir-
tute, sed absorbendi & disjiciendi gau-
dent, unde iisdem non absolute semper
fidendum est, quorsum & cautelas p. 166.
pertinet, & ipsum Scretam quoq; in libel-
lo hoc suum monitorem experientur.*
Volatilia hinc in peste præterita 1680.
suum fecisse officium, B. Petermannus,

Professor Lipsiensis, in amolienda hac,
 unâ cum aliis Medicis præstantissimis
 tunc occupatissimus, pro Collegio nobis
 hoc sancte affirmavit. Incidit præterea
 discursus de Peste tunc grassante ali-
 quando cum Viro famigeratissimo, Ar-
 chiatro nostræ Reginæ expertissimo &
 judiciosissimo, Dno. D. Zapfio Fau-
 tore meo singulari, habitus, qui asse-
 verabat, se tunc observasse volatili-
 um usum satis commodum, hincque
 cum successu adhibuisse liqvoem suum
 bezoardicum cum spiritu Martis mari-
 tatum, & absq; quidem camphora, ubi
 se magis æstus, ichorescentia, & effera-
 tio motus exeruerit, camphoratū vero,
 ubi sopor & torpor se admiscuerit. No-
 tissimum est Oleum pestilentielle Heini-
 sii, ex oleo succini, citri, & ex campho-
 râ confectum, ob quod illi Respublica
 Veronensis statuum triumphalem, uti
 ex Ettmüllero, T. I. p. 699. a. addiscimus,
 posuit, quod certè factum non esset, nisi
 in contagiorum quodam genere calida
 & volatilia alexipharmaca judiciosè ap-
 plicata conferre possent. Conferatur
 præterea Mœbius in *Anatome Cam-*
phoræ

phoræ p. 53. ubi tanta de Camphorâ in peste encomia, ut quædam fere hyperbolen sapiant. Prostat etiam in laudatissimo Dresdenfi Consilio Lit. M. Essentia volatilis egregia, in virium imbecillitate, anxietate, statu soporoso, sudoris defectu seu difficultate, (minus vero in statu magis æstuante,) ceu maximè proficua futura commendata, Titulo von der Cur der Pest/und in dem absonderlichen Bericht von den curirenden Urzneyen / Lit. M. Audiamus saltem adhuc semel illustrem Wedelium: *Observatum est, inquit, volatilia urinosa in principio pestis sume fuisse proficua (in illis scilicet casibus, ubi ob viscidius serum nullus sudor aliis medicamentis obtineri potest) & mediam quasi Tincturam bezoardicam, seu acidis refractis gaudentem, seu volatilem urinofam, fecisse strenuè officium, nec minus cinnabarina reliquis interpolata, ut Mercurialia taceamus, Mercurius enim diaphoreticus, cujus preparationem ipse Paracelsus & Hebnontius docent, non minimum in peste præstat. &c. At vero, quemadmodum positâ hac indicatione,*
seu

seu hoc intuitu sudorem aliàs difficulter
 mobilem excitare cum successu licet ; ita ad
 ichorescentiam vel rarefactionem nimiam
 inclinante massa sanguinea, volatilia cin-
 nabarina & Mercurialia hæcce tantum abest
 ut conveniant, & convulsiones abigant, ut
 potius sudores adaugeant, & nimios red-
 dant, ultra spheram efferatis & diffatis
 humoribus. A volatilibus tamen non pla-
 ne abstinendum monet ab initio morbi, ni-
 miumq; non verereri calorem, quippe qui
 productum saltim miasmatis maligni sit,
 brevi compefcendum, modo id peregrinum
 motum excitans sit exclusum, nisi calor ab
 initio statim nimium quantum sit efferus,
 (tristi quidem cum prognosi, quia rarefa-
 ctio intensa, hincq; pulsus frequens statim
 in malignarum initio, plerumq; funestum
 quid sunt p. 336) nec egrotantes sint infan-
 tes aut gravide, ubi temperatis & cordia-
 libus insistendum, àq; floribus sulphuris,
 multo magis vero theriacâ, spiritibus uri-
 nosis &c. sibi temperandum est, neq; hæ-
 morrhagias patiantur, ubi mediâ inter hæc
 Tinctura bezoardica, cui anodyna hanc ob
 causam commodè maritentur, admitti pos-
 sit, vid. p. 336. Extra hos casus volatilia ma-

gis heroica primo hosti opponenda, fixiora interpolenda. Mox enim præmissis volatilibus inde vel tollitur morbus, vel mitigatur, vel symptomata ab obsessione foci vitalis orta, anxietas, respiratio difficilis, retrocessio bubonum, & exanthematum præceduntur. Dato vero hoc stimulo, freno hinc moderamur archeum, ut non ultra, quam par est, efferatus, resistere queat. Fixiora autem reliquorum sunt subsidia, ut quies concedatur nature, quâ interruptâ facile fatiscit. Imo hæc absolvunt curationis reliquum. Media & communia sunt acida, fervori, & seminio, ut & sero ipsi tutando, debita. Et ipsa quidem satis sunt efficacia, solis tamen illis principalem expellendi provinciam demandare non æquè licet. Utut enim aliquibus profuisse visa fuerint, potior tamen semper observata est volatilium & quasi talium mediocrum efficacia. Con. f. l. c. 330. 334. Hæc innuisse circa Bezoardicorum usum in malignis legitimum sufficiat, ita scilicet exclusioni seminii vacandum esse, ne massa sanguinea nimis resolvatur, & ad putredinem ruat. Præmittenda nempe sunt Alexipharmaca, pro
statu

ftatu videlicet magis vel æftuoso, vel
 foporoso, nunc fixiora, nunc volatilio-
 ra, & sudore hinc excitato (præfertim
 in peste) paulo protractiore (singulis
 sex horis in peste reassumendo) adhi-
 beantur statim à sudore sangvinem
 concentrantia, cardiaca acidiuscula, ci-
 trata, aceta bezoardica, vinum Rhe-
 nanum, item temperantia ac diluentia,
 terrea, nitrosa, aqvea & alia, prælau-
 datis iam bezoardicis interpolanda:
 Quo fine & Theriacalia non nisi cum
 acetis, vel succo citri, propinari solent.
 Illa, quæ methodus à famigeratissimis
 dirarum pestium, annis 1635. 36. 37. 69.
 & 1678. 79. Belgium miserè depopula-
 tarum, averrumcis, Diemerbroccio,
 Barbetto, Sylvio & Schachtio, usu fuit
 comprobatissima: Et infistit huic quo-
 que allegatum hætenus Consilium an-
 tipestilentiale Dresdensium doctissi-
 mum, cui & postmodum Observator
 Dresdensis Pestis audacissimus, Jacobus
 Rœfferus, *in Diss. de Lue Pestifera Er-
 furthi 1682. habita*, suum adjecit calcu-
 lum, huncque eodem anno secutus
 Jere..

Jeremias Loffius Prof. Wittenb. in
*Diss. de Peste sub eo schemate, quo
 nunc incedit: imo & hæc nostri Au-
 toris de Peste Commentatio illam me-
 dendi rationem commendat, cujus
 certe pœnitebit neminem, legisse illam,
 & relegisse multoties, præsertim si huic
 ipsi nuperas binas Excell. Hoffmanni
 de Pestis Origine, Natura & Methodo
 curandi nervosè elaboratas Disserta-
 tiones, & hinc Gedanensium Relatio-
 nes epistolares, præsentis contagii in-
 dolem describentes, ad nos tamen non-
 dum delatas, adjunxerit.*

Deo vero, cujus manibus anni
 nostri inscripti sunt, imminetia ejus
 spicula clementissimè à nostris finibus
 avertat, aliasque regiones & urbes ca-
 lamitate hac jam afflictas sanitati resti-
 tuat, gratiâq; suâ abundantissimâ di-
 gnetur! Interim tamen, quia

*Tunc tua res agitur, paries
 cum proximus ardet,*

ego,

ego, ceu Medicus feci, edendo libellum
hunc ea, quæ debui, potui. Faxit au-
tem divina misericordia, ad quam pre-
ces nostras effundimus ardentis fi-
mas, ut tela prævisa minus
noceant!



SUCCINCTA COMMEN-
TATIO

DE

PESTE
PRÆSERVANDA

ET CURANDA

D. HENRICI SCRETÆ.



DE Peste, extre-
ma hominum
calamitate, dif-
ferenti mihi,
occurrit ipsum
nomen, quod
in utraqve lin-
gua dirum sa-
tis affectum exprimit, dum apud
Græcos λοιμός, ὀλέθριον, νόσος ἐπιδη-
μος, καὶ νόσος ἀνωλῶς vocatur. La-
tinè vero vocatur modo Lues e-
pidemica, modo Contagium, mo-
do Pestis, ab antiquo Pestesto, Pe-
C stilen.

*Pestis
denomi-
natio.*

stilentia, ab antiquo Poëta Lucretio Libr. VI. de Rerum Natura vocatur Pestilitas. Vocabulum hujus Pestis etymon Græcum est ἀπίπτω cado, unde πέσημα, casus, & hinc πείσσεις latina determinatione Pestis appellata fuit. Licet ipsum nomen hujus Luis ferociam satis exprimat, nihilominus tamen plenior ejus descriptio Medico summè necessaria est.

*Pestis
descri-
ptio.*

Est ergo, ut contractius illum definimus, Pestis Morbus epidemicus seu communis, acutissimus, perniciosissimus, ac summè contagiosus, ex veneno in, vel circa homines mediante summa putredine progenito, ac ad summum malignitatis gradum extenso, non solum spiritibus viventibus, sed & toti corporis substantiæ infestissimus, à quo omnes actiones confestim læduntur, ac extremam eclypsin patiuntur. Videtur ergo mihi ipsa Pestis morbo attonito seu apoplexiæ è regione oppositus, & si mechanice

cè utrumq; affectum considerare-
mus, affirmare licet, in Peste,
propter summam putredinem o-
mnium partium, tam fluidarum,
quam consistentium, resolutio-
nem extremam fieri, cum ex ad-
verso in apoplexia, ac ejus socio
syncope nimirum, harum parti-
um, imprimis autem fluidarum
omnimoda congelatio accidat,
unde motus omnino abolentur,
qui in Peste pervertuntur ac dis-
solvuntur. Chirurgus autem
Pestem partium principalium
sphacelum appellare posset, & si
mitius invaderet, gangrænæ no-
mine veniret.

Duplici ergo modo Pestis a- *Pestis*
liquam regionem inquinare solet, *histo-*
vel enim de novo gignitur, vel *ria.*
per contagium à remotioribus
locis affertur, cum vel homines
peste infecti, vel eorum utensilia,
ubi Pestis grassabatur, aliò trans-
feruntur, ac sic solo contactu mor-
bum producere solet. Inprimis
autem hoc contagium eò facilius
C 2 lati-

latius serpit, quò magis disposita corpora offendit.

Pestis

Genesis.

De Genesi ergo diræ hujus-
 luis ut aliquid in medium profe-
 ramus, existimo, concurrere pos-
 se varias & inæquales tempesta-
 tes, dum ver tepidum ac omninò
 pluviosum, æstas vero calidissima
 ac sicca, austro prædominante
 autumnus similiter ultra consue-
 tum tempus calidus ac ficcus, ac
 hyems temperata ac pluviosa
 extiterit, & si ad has causas occa-
 sionales annonæ caritas, belli ca-
 lamitas, ac inde ortæ clades, cum
 aliis vitæ humanæ vitiis accide-
 rint, in plurimis bona tempera-
 menta, pervertuntur, ac magnæ
 cacochymia in corporibus exori-
 untur, ut spiritus facile efflare
 possint, sensim sensimque humo-
 res vitiosi in corporibus congesti
 ope fermentationis in putrorem
 abeunt, unde prius frequenter
 præcedere solent febres malignæ
 diversæ indolis, cum diarrhœis,
 dysenteriis, aliisque hujusmodi
 affecti-

affectibus, quibus, ni maturè medeatur, in locis, ubi frequentissimus hominum concursus est, tandem ipsa pestis succedit, quæ malignarum febrium summa ac exquisitissima est; quotiescunq; enim pestis exorta est, ex historia compertum est, solummodo maximas civitates ac metropoles huic domicilium præbuisse; qui illam autem in obscuriori aliquo vico exortam fuisse diceret, nullus est. Et cum plerumque huiusmodi violentissimis affectibus homines tunc obnoxii sint, aliis bestiis tunc omnino exclusis, sequitur, non tam perversitatem temperamentorum, quam ipsas animi passiones hinc plurimum conferre, mœror enim ac metus ipsius mortis hinc plurimum vident, quibus quoque & ira suum symbolum affert. Non tamen negarim & bruta peste laborare posse, quæ vero ab hominum peste omnino diversa est, nec unquam hominem hac labe afficit.

nisi prius diu inter bestias habitavit ægrotas, vel de eorum carne infecta comederit, in hisce duobus casibus enim etiam brutorum pestem propagari posse, certò certius est; Sed ex aduerso ab hominum, peste alia bruta non contaminantur, exceptis solummodo animalibus domesticis, quæ in locis infectis aliàs tolerantur, ut canes, feles ac aves. De reliquis exempla rariora sunt, ea unquam infecta fuisse. Si ergo successu temporis sæviente peste aër proximè homines ambiens per Eurum aut Aquilonem non ritè purgatus sit, tandem nullus in hac vicinia habitans ab hac lue securus esse potest, quam primum enim aër in vicinia omnino hoc veneno inquinatur, isque necessario ab omnibus per inspirationem attrahi solet, nil aliud inde sequi poterit, quàm subitaneam pulmonum gangræna ac sphacelus. Hinc accuratiores in aedibus suis, ac etiam in ipsis placet

39
teis, multa flammâ ex quocunq;
ligno aërem inqvinatum purgare
solent. Alii autem accensione
sulphuris, pulveris pyrii, aut ni-
tri, hoc peragunt. Plures ipsum
chalcantum aut salem commu-
nem carbonibus inspergunt, ac
suffimigia excitant. Quidam ace-
tum lateribus candentibus affun-
dunt, plures Nicotianæ fumo id
præstant. Sunt & qui hircum in
ædibus alunt, ut per illius salem
volatilem abundanter ex illo spi-
rantem aëris malignitas infrin-
gatur, ac temperetur. Hoc et-
iam notandum est, magnam ho-
minum stragem ab inhumatis ca-
daveribus subsequi, quamdiu e-
nim hæc cadavera vel in ædibus
servantur, vel in plateas repo-
nuntur, tamdiu quoq; putridæ
exhalationes omnem viciniam
inquinare solent. Ut ergo huic
obviam eatur, svaderem calce vi-
va aut aceto, vel in hujus defectu,
vino cadaver aspergere, aut fumo
sulphuris lintea, in qua cadaver

involvitur, inficere, ut hoc modo saltem infringatur exhalatio à cadaveribus spirare solita. Ex observationibus constat, si pestis circa autumnum aut circa hyemem locum quendam invaserit, multo majorem stragem edere solere, quam si vere, aut in principio æstatis exorta sit. Tunc enim ipsa habitacula perflari solent ab aëre exteriori ac recenti, in hyeme autem, cum omnia clausa sunt, malignitas eò ferocior est, cum plerumque homines hypocausta calefacta inhabitare soleant. Pariter etiam circa Pleniac Novilunium exacerbescit, eò quod humores tunc quoque magis moveantur, ac ad peregrinam fermentationem perficiendam aptiores reddantur. Prægnantes etiam tempore pestis facile abortiunt, quæ & post abortum ipsa peste mox inquinantur, & quia ob præcedentem magnam hæmorrhagiam magna virium dejectio sequitur, eò facilius quoque per-

pereunt. Et hi, qui veneri nimium indulgent, peste facile interimuntur ac pereunt, cum in effusione seminis magna spirituum dissipatio subsequatur. Omnes, qui aliis morbis tunc laborant, ipsam quoque pestem experiuntur, eamque funestam ut plurimum. Ex his narratis est colligere, conservationem virium, vel temperamentum robustum, aut integrum animum curisque vacuum ad superandam pestem imprimis prodesse, cum ex adverso timiditas, pusillanimitas, virium dejectio, excretiones nimiae, cachectica ac scorbutica dispositio, cum omni corporis luxurie, pestem mox accersat, & quamprimum quis saeviente pestilentia aliquaalem alterationem animadvertit, absque omni mora alexipharmacum praestantius assumat, & facile postmodum pestem evitabit, si vero diutius quis velit expectare, donec manifestae virium dejectiones adsint, nimis fero tunc auxilium im-

plorabit, cum intra breve tempus,
vel saltē aliquot horarum spatio,
ab inflammatione gangræna ac
sphacelo subsequi possint. Accidit
sæpius, ut à peste diei naturalis
spatio intereant, quidam aliquot
dies supervivant, quod forsan
pharmacis debent, plerique au-
tem, cum diem 7. aut 9num supe-
rarint, evadere solent, modo nul-
los novos errores tunc commit-
tant, quemadmodum quoque id
pluries in febre maligna vidimus,
ut etiam à leviculo errore passi-
sint recidivam, quam propter
virium debilitatem superare
haud valere.

*Signa
Pestis
præce-
dentia.*

Solent etiam quædam signa
præcedere, unde postea de febre
pestilenti aut ipsa peste magis
constat; superius enim indicavi-
mus, ante exortum pestis quæ su-
um symbolum conferant, impri-
mis autem præcedunt variæ ac
insolitæ tempestates, diversorum
insectorum copia ab austrina con-
stituta.

stitutione orta, à quibus simul fructus corrumpuntur, & quia absque discrimine hisce vesci solent homines, pravas inde concoctiones contrahunt, & inde, propter febriles dispositiones, labem aliquam scorbuticam, ac vapescentem sanguinem, variæ febres malignæ, frequentes abortus, dysenteria, cum aliis producuntur. Sunt etiam alii plures viri docti, qui ad pestem producendam magnas planetarum conjunctiones aliquid contribuere volunt, verum cum hæc ratio nimis longè petita sit, huic supersedebim⁹, cum aliàs Astrologiæ judicariæ haud multum tribuere soleamus. Observarunt tamen etiam ante imminentem pestem aves ac feras locum mutasse, cum auram pestiferam ob sensus exquisitiores fugerint. Videtur tamen, hæc ratio satis vacillante niti fundamento, eò quod certò certius sit, non omnem aëre in tota illa regione noxium esse,

se, sed solummodo illum, qui vel habitaculis hominum inclusus est, & ædes quam proximè ambit, aliàs vix concipere possem, quomodo reliqua omnia animalia se ab illa aura pestifera tuerentur.

*Signa
Pestis
præsen-
tis.*

Ex signis vero præsentis pestis pathognomonicis, sequentia symptomata præcipua censentur, uti sunt: virium subitaneæ dejectiones, cum vel sine febris manifesta conjunctæ, totius corporis jactationes, anxietates circa præcordia, ac æstus interiora occupans, quibus quandoque appetitus omnino prostratus, nausea, vomitus ac cardialgiæ, cum siti immodica fere conjunguntur. Adest quoque cephalalgia immensa cum deliriis & terroribus, nonnunquam etiam convulsiones coincidunt, modo nimix vigilix, modo & graviores sopores ægrum laceffunt, cum sensuum perturbatione, ita, ut visus turbetur, aures tinniant, lingua amaro

rore

rore ac nigrore inquinetur, his accedit etiam oris ac exhalantis auræ foetor, cum sudore itidem admodum graveolente; pulsus plerumq; vel debilis, vel inæqualis animadvertitur, ita, ut quandoq; syncopen patiantur, tuffis quoq; sicca interdum & hæmoptoë se produnt, solent etiam in emunctoriis bubones ac parotides apparere, imò alia exanthemata per cutem disperguntur, ut sunt carbunculi, petechiæ dictæ, ac ulcuscula variolis similia, quotiescunq; autem ex hisce symptomatibus plura simul ægroti corpus occupant, de diro hoc affectu non amplius dubitandum est, imprimis, si jam constet, luem hanc in illo loco grassari. Ejus enim indoles est, ut facile per contagium propagetur, hinc Medicus statim ac de hoc affectu certior redditur, ad alexipharmacum remedium refugium capeffit

*Cause**1) physice.**2) morales.*

Plures hujus affectus numerari solent causæ, quarum aliæ tantum morales, aliæ vero physicæ existunt: Ex physicis autem hic considerantur eæ, quæ hunc morbum præcedunt, ac illæ, quæ morbum hunc quam proximè produciunt. Ad causas morales merito referuntur, ira Dei ter O.M. contra hominum enormia peccata excandescens, ut & ipsa hominum vita perversa: Ex historicis enim, & quotidiana experientia constat, tam bella, plurimarum calamitatum matrem, quam etiam omnes in victu commissos errores, huic morbo ansam præbere, haud neglectis hic reliquis peccatis, ut sunt ira, pauperum ac justorum oppressio, cædes, adulteria, ebrietas, & similia &c. quorum tamen quædam ad físicas pertinent causas, imprimis autem vehementiora animi pathemata non exiguum afferre solent symbolum; quia corpus ad hunc affectum magis sic dispo-

disponitur; *Causa* *proxima,* Causam vero proximam pestilentiae dicimus esse illud venenum animale volatile, quod subito ope fermentationis in alia corpora transfusum, eadem similiter hocce veneno inficere solet. Hoc ergo venenum summè volatile ac acerrimum esse, colligere licet è pernici hujus effectu, eò quod omnia, quaecunque contingit humana corpora, in putrilaginem resolvat, unde & necessario toti9 compagis solutio ac casus sequitur, nisi per debita alexipharmaca vel ejiciatur, vel quocunq; modo absorbeatur, vel involvatur, ne amplius nocere possit. Esse solummodo hoc venenum animale, inde conjicere licet, quod hujusmodi effectus à nullo alio venenorum, sive ex mineralibus, sive è vegetabilibus desumpto, oriatur, & licet quidam alterutro horum enectus sit, nunquam tamen observavimus alios inde per contagium affectos fuisse; iis solummodo exceptis, qui

qui huiusmodi cadavera familiaris tractarunt, & cum animale venenum fit, ut certum est, plerumque illud vel in ipso homine, vel in locis, ubi plures simul habitant, nec aër frigidus diu collectus facile expurgatur, produci; Raro quidem Brutorum pestis in homines transfertur, nisi ex incuria, aut aliorum malitia horum carnes comederint, à quibus potuerunt facile illo morbo inquinari. Semel igitur ad maturitatem euecto veneno, istud postea facillimè per contagium in plurima transfertur corpora, & eò majorem stragem edit, quò rumor sese subito magis in plurimorū animos devolvit, & cum semel terrore panico perculsi sint, eò facilius deinde œconomia animalis per hocce venenum omnino perverti posset. Et sicuti in subjecto aliquo particulari phlegmone seu inflammatio facile, nisi præcaveatur, in gangrænam permutatur, quam mox ipse sphaceus excipit;

pit; ita haud absimili modo civitas amplior, tanquam unicum subjectum considerari potest, in qua principium ipsius pestilentiae tolerabile est, in augmento autem brevi tempore se quam latissime diffundit, ut tandem nihil ferè subsidii superfit, quò sævities huius luis compefcatur.

Ex dictis igitur elucescit, duplici modo pestem oriri solere, cum nempe vel per solum contagium propagatur, vel Febribus malignis in pejorem statum transmutatio oritur: In locis vero ubi nullæ febres malignæ auditæ sunt, si pestis sese prodatur, credendum est, illam per contagium ortum traxisse, quod contagium tunc ceu origo, dein vero in progressu temporis, tanquam causa consideratur. Cùm hæc contagium tanquam causa habeatur, sequitur etiam inter causas referri posse ipsum aëra, non tamen omnem & in universum sumptum, aliàs, si tota aëris regio

*Duplex
exortus,
vel à
contagio,
vel
à febribus
malignis
exaltatis.*

D

illius

illius loci veneno hocce inquinareretur, omnes, & simul, inficerentur, quia aëre haud carere possumus. Singulis enim momentis per respirationem spiritum, seu auram vitalem, seu, ut Sendivogius vocavit, occultum vitæ cibum attrahimus. Si ergo loco spiritus vitalis venenum attraheremus, necessario mox teneri nostri pulmones omnes corrumperentur, unde post propagatam veneni fermentationem, totius systematis dissolutio ac ipsa mors subsequeretur; Illum vero aëra, qui in ægrorum habitaculis inclusus est, aut exhalationes ægrorum peste laborantium, aëri commixtas, facile per contactum vel respirationem ab aliis vicinis attrahimus. Venenum insuper in vestimentis, lectisterniis linteis aliisque utensilibus pestiferorum latitans, diu suam indolem pestiferam conservat, antequam omnino exhalat, hinc etiam per hujusmodi res ipsa pestis

stis sæpius in remotissima loca transfertur: quare prospiciendum est, ne promiscuè hæc omnia alibi recipiantur, nisi prius vel probè lota, vel suffimigiis acidis, aut sulphureis diligenter correcta sint. Causæ autem febrium, aliorumque symptomatum concurrentium similes esse solent iis, qui hujusmodi morbus *ἀπὸ λαΐς* producant: Nam causæ febrium in peste eadem sunt, ac aliarum malignarum, cruditates nempe congestæ, ac cacochymia, seu stagnatio humorum putridorum. Neque etiam symptomata pestis aliàs præter venenum hoc lethiferum ullam agnoscunt causam quò enim illud propter summam volatilitatem in hanc vel illam partem magis infligitur, aut, si hujusmodi partes debilitatem quandam prius senserint, eò magis in illis aliquod symptoma notabile producitur, quemadmodum etiam hujusmodi accidentia in febribus malignis ab aura ve-

nenata excitantur; Magis particulatim hæc symptomata recensere hîc supervacaneum est, de quibus tamen omnibus fusius egit Celeberrimus D. D. Diemerbroccius in aureo Tract. de Peste, quem illic videre licet. Nos tamen ea repetemus, cum de Symptomatum cura verba faciemus.

*Progno-
sis.*

Quæ vero pestis prognosin attinent, ea pleraque in hoc perniciosissimo morbo satis fallacia ac dubia sunt, hoc tamen certum, quo major naturæ robur in hoc morbo animadvertitur, eò melior spes evadendi habeatur, imprimis autem, si pulsus constet, sudor facilis, ac cum euphoria, proliciatur, lingua humida fit, unde conjicere licet, universum lymphæ motum secundum naturam constitutum esse; & quò magis à via recedit, eò quoque majus periculum imminet. Inter salubria quoque signa recensentur bubones subito ad
ma-

maturitatem provenientes, imprimis autem salutem adhuc sperare licet, si tumores cum eorundem ambitu, ut et circuli anthracum ac carbunculorum, rubicundo colore pateant. Ex adverso autem, si vel purpureus, lividus, niger, aut alius color exoticus appareat, nil aliud, quam ipsam mortem præfagire licet, imprimis, si imbecillitas virium, pulsus inæqualitas, ac delirium accedat. Inter excretiones nullæ fere salutares sunt, unde nec vomitus, nec diarrhœa, neque ulla hæmorrhagia, ubicunque exorta sit, spem evadendi pollicetur. Qui vitiosis humoribus abundant, & peste corripuntur, vel qui circa plenilunium ac noviluniumprehenduntur, vix evadere possunt, solet enim tunc venenum pestiferum in venenatis humoribus, in turgescencia circa lunæ phases, sua spicula altis infigere, ut inde tota massa sanguinea novâ hac fermentatio-

ne inquinetur. Post vehementes animi & corporis motus arrepta pestis homines plerumque jugulat, ut & post magnas evacuationes, imprimis autem post Venerem contracta, perniciofa est. Inter mala quoque signa referuntur virium subitanea prostratio, animi deliquiæ, ac cordis palpitationes, ut et pulsus debilis ac intermittens certam perniciem post se trahit, sopores graves, sternutationes, tremuli motus, convulsiones, deliria, dolores absque tumoribus, foetens anhelitus, respirandi difficultas, dolor lateris punctorius, singultus, ac urinæ peregrino colore infectæ plerumque calamitosa sunt. Quicumque tumores, postquam apparuerint, mox evanescent, certam perniciem præfagiunt, resorpto introrsum veneno. Quibus fonticuli ichorem reddunt laudabilem, iis tantum non imminet periculum; Si vero exsiccantur, aut nigrum ichorem fundant;

dant, lethiferum signum est. Reliqua omnia suo ordine ipse Diemerbroccius Pests avtoptes fusiùs tractavit.

Prophylaxis Pests trifariam consideratur, eaqve est vel Theologica, vel Politica, vel Medica. Ad prophylaxin Theologicam refertur maximè, ut homo sit integer vitæ, scelerisque purus, & si antea peccatis mentem suam inquinavit, verâ pœnitentiâ inductus resipiscat, ne amplius aliquod pondus in conscientia sua restet, morsus enim conscientiaë ipsum corpus ita affligere solent, ut inde sæpissimè gravissimè morbi orientur, hos enim mox sequuntur melancholia, cardialgia, ac cordis palpitatione, quibus symptomatibus contractis venenum pestiferum quoque se insinuat. Necessè est etiam, ut hi, qui ditiores præ aliis sunt, eleemosynis succurrant egentibus, si enim pauperibus priùs succurrant, eò minus quoque il-

Prophylaxis

1) *Theologia*

lis periculum imminet, post magnas enim pauperum strages, magna etiam aëris vicini sequitur corruptio, qui in divitum aedes penetrare potest.

2) *Politica*

Prophylaxis *Politica* in eo præcipue consistit, ne homines, eorundemque utensilia, à pestiferis locis venientes absque discrimine admittantur; Quamobrem Italarum consuetudo hic laudanda est, qui postquam de Peste alicubi grassante certiores redditi sunt, mox omne commercium cum illis prohibere solent, etiam indictâ graviore pœnâ, quemadmodum id jam bonæ eorum Constitutiones satis evincunt; & si ex necessitate cogimur homines, vel aliud supellectile ex loco aliquo infecto admittere, prius omnia suffimigiis ex igne largiore corrigantur, homines autem, in loco eminentiori, ac satis perflabili per aliquot hebdomadas degant, & interim prophylacticis tam internis, quam externis se se muniant,

niant, vestimenta autem, si loturam tolerant, lavent, sin ruius, ea sulphure, chalcantio, aut pulvere pyrio cum aceto in massam reducto fumigent, idque sæpius. Et hæc etiam observentur, si mox quis in consortium aliorum recipitur, hoc enim modo sufficienter latens in vestimentis venenum corrigitur, neque abs re foret, si advena è locis pestiferis aceto per totum corpus humectetur; hoc enim acidum optimè infringit luxuriam veneni huius summè volatilis ubiubi in cute hæserit, quemadmodum acidi spiritus è sulphure, nitro & chalcantio ac aceto exhalantes, illud in vestimentis aliisque utensilibus corrigunt seu invertunt; Si vero præter omnem spem civitas quædam peste affectum admiserit, ædesque ejus cognitæ sint, mox ægrum extra urbem in nosodochium deportari jubeant, quem omnes ejusdem familiæ sequantur, quos tamen in alio loco ab

ægro remoto locare convenit, & hoc modo pestem aliâs brevi latius serpentem eliminabis, quemadmodum hâc methodo plures civitates non ita pridem ab hac lue servatæ sunt. Magistratum etiam decet, ut prospiciat, ne carnes animalium ægrotantium, fructus immaturi, fruges corruptæ, vina pendula, aut cerevisia vappida vendantur, cum è corruptis cibis dispositio ad recipiendam pestem in corpore humano confletur, quod dein contactus pestiferus facillimèprehendit, malumque inde latius serpit; Fuga autem sibi consulere remedium omnium optimum est; verum quia ob plurimas rationes non quisque patriam deserere audeat, ideo consulendi sunt & Medici.

3) *Medica.* Prophylaxis autem Medica ad avertendum hoc malum *ex triplici fonte* sibi proficua depromit, *ex Dietetico*, nempe, *Pharmaceutico & Chirurgico*. Et cum
Diætæ

Diæta consistat in exacto usu re- *a) Ex*
rum non naturalium, ideò hîc *Dieta.*
omnia observentur, quæ ali-
às integræ sanitati obtinendæ
conducunt. Aërem ergo hic eli-
gamus, si habitaculum concedat,
qui fit summe temperatus, magis
tamen ad frigiditatem inclinans,
cum siccitate conjunctus, quare,
si, vel Euro vel Borea flante, ven-
tus cubicula vel habitacula per-
flat, omnium optimè sic ædes
purgantur, constat enim experi-
entiâ Euro & Borea flante, pe-
stem, ubi aliàs grassabatur, mi-
tescere, & plerumque cir-
ca hyemem omninò aboleri; si
vero in ædibus aër fracidus aut
alio modo corruptus animadver-
tatur, ante omnia omnes angu-
li domus laventur, calce illi-
nantur, dein è pulvere pyrio,
nitro, sulphure, chalcantio aut a-
ceto perpurgentur, vel igne e
ligno juniperi, abiegno, aut piceo
conflato fraciditas discutiatur,
quod interdum bis ad minimum,
mane

mane nempe ac vesperi, exerceri debet, dum autem flammam in cubiculis accendas, fenestram unam aut alteram aperies, quam mox à flamma remota iterum claudas. Suffimigia pretiosa hic nihil præstant, licet ab Autoribus ad ravim usque commendentur. Cibus ac potus nullâ excedente noxiâ qualitate peccet, hoc tamen notandum, in condiendo cibo acetum plurimû prodesse, quemadmodum & sal largius cum cibus sumtû. Si enim hæcce duo carni-um bestiarum mortuarum putredinem arcere possunt, quin in viventibus eadem præstent, haud dubitandum est. Quare & exulent omnes cibi ac potus, qui bilem augent, vel qui durioris concoctionis sunt, omnem tamen luxuriam hîc prohibeo, cum nec crapula, nec repletiones aliæ ad sanitatem tuendam conducant: Ex adverso autem novim⁹ etiam famem ad pestem recipiendam, plurimum tribuere solere. Quare

re Magistratus ac civitates opulentiores largioribus eleemosynis pauperibus succurrere debent, obrationes supra dictas. Balnea hic omnino noxia sunt, cum glandulas subcutaneas nimium emolliant, earundemq; tubulos laxiores reddant, proinde facilius postmodum venenum pestiferum in corpus recipere possunt. Quomodo verò vestimenta sint curanda, modo superius indigitavimus, cum eorundem correctiones vel loturâ vel suffimigiis habeantur, Excreta ne modum omnino excedant, & si alvus lubricior reddatur, assumpto uno vel altero pulvere styptico restituatur. In Venerem non sint proni, cum & seminis profusio hic summe noxia sit, eò, quod vires inde debilitantur, conservatio enim virium hic summè necessaria est. Corporis motus non negligantur, quamobrem omnem acediam fugiant, ne vitiosi humores in corpore coacerventur, motus tamen corporis
non

non excedant, ne vires inde col-
labescant. Vigiliæ non protrahan-
tur, somnus quoque modum non
excedat, quem tamen effugies, si
crapulam fugies. Ad satietatem
non repleri, integrum esse ad la-
bores, omnino convenit. Impri-
mis autem animi pathemata hîc
mediocritatem fervent, timorem
enim, tristitiam ac iram tanquam
pestem fugito.

3) *Ex Chirurgia.* *Ex chirurgico* vero fonte:
V.S hîc denotanda venit, quam
omninò noxiam esse deprehendi-
mus, conservatio enim virium
iterum inculcanda est, quam ve-
næsectione imminueremus. Si-
militer ipsæ etiam Cucurbitulæ
hisce tempestatibus frustra adhi-
bentur, nisi quis iisdem asvetus-
sit; verum Fonticulos hîc lau-
dare debeo: Ex plurimis enim
observationibus constat, omnes il-
los, qui ulcere aliquo laborabant,
à peste immunes fuisse, hinc facta
ulcuscula eandem forte operam
præstabunt, ac sordida ulcera, de
quod

quorum usu diffusius egit Christophorus Schorer, Physicus Memmingensis Tract. de Fonticulis. Licet ab usum fonticulorum non probem, tamen hic aliquid emolumenti præstare possunt instar aliorum ulcerum, uti dictum; non tamen sequitur, eos à peste esse immunes, qui fonticulos gestant, nisi simul omnibus obsecudent, quæ commendavimus. Imprimis autem difficile est animi motus temperare, plures tamen timor ac animi pusillanimitas prosternt, quam ipsum venenum pestiferum, videmus enim audaciores (animo nempe, non lingvâ) etiam summa hæc pericula evadere solere, licet nullis prophylacticis hic utantur præter animum fortiorem, cum ex adverso plures jugulentur, qui prophylacticis abundanter usi fuerunt.

Ex *Pharmaceutico* fonte *Ex Pharmacia*
 primum ea rejiciamus, quæ obesse solent. Imprimis autem procul

cularceantur, omnia Purgantia, quocunque nomine comendantur, exceptis Pilulis Ruffi Ephesii, vel earundem supparibus, de Rhabarb de Ammoniaco, aliisque mitioribus: Inde & confici solet Elixyr propr. Quomodo hoc ceu prophylacticum pestis parari debeat, indicavimus in libro de Febr. Castrenf. p. 225. Varia quoque antidota prophylactica, tam interna, quam externa habentur. Imprimis autem interne laudatur Acetum antiloimicum seu bezoardicum, p. 225. de quo cochlear mane cum jusculo aut pul- te assumatur, vel de Elixyre antiloimico nostro gtt. xx. usque ad xxx. Præmansum quoque pomum citri insignem opem præstat, imprægnatum est enim acido evstomachico, ac putredinem arcente & aromatico oleoso spiri- tus reficiente vid. Tract. de Febr. Castr. p. 102. edit. Germ. Lat. 225. Profunt quoque in hunc finem Globuli seu Noduli naribus sæpius ap-

applicati, quorum descript. vide in libell. de Febr. Castr. p. 81. Lat. 192. Bufo exsiccatuſ quoque bonum remedium prophylacticum est, cuius præparationem exhibet Helmontius in Tumulo Pestis, quem vide sis. Succinum etiam pellucidum temporibus, carpis, cordis scrobiculo, ac circa malleolum affricatum ab eodem Helmontio laudatur, si mane ac vesperi instituatur. Suffimigia sæpius instituimus huc non repetenda.

Ut ergo Medici, Chirurghi ac alii, qui necessitate coacti in loco versantur, ubi pestiferi decumbunt, ab hac dira lue securiores sint, & hi certâ vivendi ratione uti debent, quo dirum hunc hostem vel fallere, vel superare possint:

*Præservatio
Medicis &
Chirurgis particu-
laris.*

Ante omnia ergo opus est, ut corpus â vitiosis humoribus omnino vacuum sit, siue id fiat promissis purgationibus lenioribus, siue exactiori victus ratione institutâ, quamdiu enim aliquod grava-
E men,

men, lassitudinem, cachexiam, aut asthma insuetum in semet-
ipsis sentiunt, corrigant hos affe-
ctus necesse est, antequam pesti-
feros visitent, imprimis autem ne-
cesse est, ut audaci ac hilari ani-
mo ad ægros accedant, si enim
pusillanimitas eos deprehenderit,
mox etiam dirâ hac lue afficeren-
tur, quam tamen, si interdum
contingit, facile poculô hilarita-
tis vincerent, non tamen svade-
rem, ut ad ebrietatem usque bi-
bant, cùm omnis repletio ultra
vires noxia sit. Post labores in-
terdum requiritur reqvies, aut
somnus post meridiem, ut inge-
sta melius maturentur concoctio-
ne, nil enim magis nocet sa-
nitati, quàm motus corporis ni-
mii post prandium, iis enim cibi
nondum concocti protruduntur,
unde cruditates in ipsam chylosin
abeunt, & convenit ad sanitatem
conservandam, ut cibi evpepti
ac evchymi assumantur, ut facili
labore ad concoctionem produ-
can-

cantur. Mediocriter tamen corpus saginari opus est; Pro potu inservit vinum non raucidum, non pendulum, sed tenue ac benè defæcatum, hujus enim aciditas bonam massæ sangvineæ consistentiam efficit, cum cerevisia ex adverso bilem augeat, ac sanguinem lubricitet; hinc vinum in peste præ cerevisia eligendum, non tamen negarim, quin cerevisia benè defæcata salubris tunc potus sit, modo sibi caveant à nimia hujus ingurgitatione, quemadmodum id Saxones suo damno experiuntur. Hæc sufficient de iis, quæ ingeruntur.

Quod vero excretiones attinet, Medicus Loimicus prospiciat, ut alvus quotidiè respondeat, imprimis autem adsvescat matutinis secessibus, nec intermisso hoc naturæ beneficio in publicum prodeat, ac tunc ob verecundiam hunc naturæ conatum officio suo intentus impediatur, experientiâ enim constat, haud exclusis excre-

E 2 men-

mentis, corpus flatibus vehementer infestari, unde mœror ac melancholia absque alia causa excitatur. Svaderem ergo, ut semel vel bis hebdomadatim dosim de pilulis Ruffi sumat, quæ tam corpus laxando, quam etiam à putredine præservando proficuae sunt, vel harum pilularum loco sumat elixyr proprietatis laxativum ad gtt. xxv. xxx. Caveat quoque sibi, ne è domo exeat. jejunos, nisi prius offam, aut jusculum aliquod sumserit, aceto loi-mico, aut alio fragranti imprægnatum. Mihi arrident pultes farinaceæ aceto conditæ, aut offa cum frixis cœpis, quibus ovum forbile adjungatur: Interea tamen profunt citra recentia, zedoaria, angelica, baccæ juniperi, caryophylli, aut N. M. præmansa. Delicatiores autem secum gerunt cortices aurantiorum. citri, radices helenii, ac similia condita. Et si in publicum Medicus prodit, alterâ manu pomum citri recens, alte-

alterâ nodulum loimicum de Fe-
bre castr. 192. indigitatum gestet.
Frequentè etiam nares emun-
gat, ut, si forte venenum per in-
spirationem attractum in naribus
muco adhæreat, hoc modo elimi-
netur; neqve etiam salivam simi-
liter infectam deglutiat, sed fre-
quentissimè exspuat, necesse est,
alias ipsum venenum in ore flui-
tans deglutiretur, unde ventricu-
li gangræna subsequi posset. Item
vel pomum citri in casu necessi-
tatis, vel nodulum in magno fœ-
tore naribus admovere debet.
Anteqvam ergo ægroti domum
ingrediatur, prospiciat sedulò, ut
cubiculum ægroti, ac tota domus
largiori flamma è ligno juniperi
aut piceo expurgetur, & si suffi-
migia superius indigitata accesserint,
eò securius quoq; ægro-
to opem ferre poterit. Non
tamen svadendum est, ut semper
Medicus sudorem ac exhalatio-
nes ab ægroto per respirationem
vel contactum attrahat, quod plu-

res suo damno experti sunt, explorato enim pulsu sufficit, ut Medicus parum recedat, quo liberio-rem auram capere possit, & si necessum sit totum corpus intueri, largior semper flamma ac suffimigia alantur, ne venenum pestiferum per respirationem attractum noceat Medico; Si ergo aliquot scallas ascendere debet Medicus, unde respiratio frequentior ac vehementior fit, non statim ad ægrum accedat, ut ei consulat, nisi prius respiratio ac motus cordis ad justam temperiem redigantur; vehementiore enim anhelitu prope ægrotum facile venenum in pulmones reciperetur, ac profundius infingeretur, quod hoc modo facile declinatur. Sunt, qui suffimigationem Nicotianæ laudant, ex quibus Isbrandus Diemerbrock præcipuus est autor, quæ consuetudo tunc temporis satis laudabilis est, modo non in excessu peccetur, ut plurimorum mos est; qui vero Nicotianam ferre non

non possunt, hi manducent cardamomum, caryophyllos, cinamomum, aut aliud aromaticum, quibus saliva copiosius prolici potest. Existimo enim Nicotianæ fumum non specificâ qualitate alexipharmacâ prodesse, sed procurare solummodo salivam, quâ promotâ etiam reliqua lymphæ per ductus lymphaticos in motum secundum naturam concitatur, & quamdiu lymphæ juxta naturam se habet, inde etiam sanitatis certa signa depromuntur. Quotiescunque Medicus se in ædes suas recipit, mox etiam vestimenta sua suffimigiis consuetis corrigat, ne familiares sui hoc veneno nondum correcto, aut ritè subactò, simul inficiantur; Prodest quoque faciem ac manus acetò tepido sæpius lavare, omnia enim acida, sive externè sive interne adhibita prodesse solent. Potest etiam Medicus aliamethodo hîc non expressa à peste immunis esse, prout cujusvis indoles

ac consuetudo ad hoc vel illud peragendum illum magis alacrem reddit. Reliqua vide apud Diemerbroccium in sua Vivendi ratione in Peste. Cum pestis causa proxima consistat in sale aliquo acriori volatili ac summè corrosivo, instar Mercurii sublimati aut arsenici, partibus ubicunque infigitur horum acrimonia perniciofa, unde massa fangvinea, tam quoad consistentiam, quam quoad dulcedinem, ac motum maximè pervertitur, ita, ut simul pars fangvinis oleosa quoque valdè exagitetur, ut colliquatio humorum omnimoda subsequatur, spiritusque animales sese simul extricent, ac avolent, quibus omnibus nil aliud subsequi solet, quam totius corporis viventis omnimoda destructio ac mors. Ne autem hæc eveniant,

*Cura
ipsa.*

Indicatio curatoria eò tendat, ut tam massæ fangvineæ æquabilis consistentia per acida, balsami vitalis autem, seu sulphureæ

reæ partis, ac spirituum animalium penuria per aromatica oleosa reparatur, luxuries autem venenatarum ac volatilium particularum tam per acida figatur, quam per absorbentia fixiora inhibeatur, aut per ossa vel cornua inviscetur. Juxta hanc methodum medendi vera pestis curatio absolvitur, modo Medicus mature ad ægrum vocetur. Solent quidam mox in principio seu quacunqve alteratione percepta vomitorium præscribere, quo existimant per superiora omne venenum attractum expelli posse: Verùm hac operatione ritè perpensâ, judico vomitoria non ita prodesse, ut vulgo creditur, cum, si vehementiora sint, vires inde magnum detrimentum capiant, ad tempus saltim; & cum virium conservatio omninò necessaria sit, ideò in perniciem ipsius ægroti tempus perdere non licet, quod appropriatis alexipharmacis aliàs fat breve est,

non tamen omnia vomitoria hîc
exclusa volo, imprimis, si certum
sit, primas vias saburrâ vitioso-
rum humorum infarctas esse, ac
corpora robustiora, quibus cum
fructu securiora remedia vomito-
ria exhibere licet. Ego vel
svaserim vitriol. vomitoriû ad ʒʒ.
vel Oxyfacchemet, ad ʒʒ. vel quod
præstantius existimo antimonii
diaphoret. nitrati ʒj exhibere, su-
perbibito largiore jusculo, quò
vomitus eò feliciter sequatur; Pro
vitriolo militant Observationes
Riverii, pro oxyfaccharo verò i-
psa experientia, quæ acida semper
svadet, ac pro securitate remedii
antimonii diaphor. stant pro-
priae Observationes, cum in hac
dosi emetodiaphoreticum exi-
stat, plurimorum morborum sat
efficax alexiterium. Ubi autem
vomitoria nullum locum habent,
ut pro iis rariores casus sunt, A-
lexipharmaca, intercalatis pau-
rioribus horis, efficaciora exhibe-
antur, quibus sudorem universa-
lem

lem procurare studeas, quo semel obtento, de ægri salute certioreris, modo non statim ab hisce remediis desistas; Nullum vero Alexipharmacum præstans est, nisi aliquo acido sit imprægnatum, acida enim hîc utramq; paginam absolvunt, uti superius in prophylaxi quoq; indigitavimus. Quam ob causam nuper Medici Amstelodamenses Sylvio, Barbette, ac van der Schagen Aquam prophylacticam in usum vocarunt, quæ nihil aliud est, quàm acetum stillatitium particulis aromaticis oleosis imprægnatum. Meo autem iudicio præstantiora sunt adhuc Aceta loimica solâ infusione parata, cum non omnia ingredientia per alembicum vehantur, quæ nuda extractione melius conservantur. Descriptionem exhibuimus in Tract de Febr. Castrens. p. 225. quæ pro lubitu potest augeri vel diminui. Neque incongrua, est Aqua bezoardica seu theriacalis tempera-

perata Riverii, itemque Mixtura simplex, vel Paracelsi, vel Dan. Ludovici, spiritu tartari, ac vitrioli acido imprægnata. Addi possuunt etiam alii succi acidi, pomi citri nempe, aurantium, berberum, ribesiorum, cerasorum acidorum, rubi Idæi, & similia, imò acetum, ac ipse tartarus vini cum succo aut vino cydoniorum: E Mineralium autem classe comendamus sulphur vivum ejusque flores, salem culinarium ac gemeum, spiritusque acidos minerales nitri, salis, sulphuris & vitrioli, ut & acetum antimonii, ejusque clyssum sic dictum, & si ejusmodi spiritus acidi minerales austeritate suâ nocere videantur, miscelâ s.v. rectificatissimi per digestionem ac cohobia aliquot mitigantur, ut eò tutius in usum internum vocari possint. Nullum ergo præscribatur alexipharmacum, seu sudoriferum, quoniam unum ex enarratis acidis contineatur. Solent enim

enim vel aquam prophylacticam, aut acetum bezoardicum, vel citri, berberum, aliorumque vegetabilium, imò commune acetum largiore dosi addere. Spiritus autem minerales numeratis paucis guttulis ad gratam aciditatem addantur, ne nimia quantitas corrosione sua noceat, quod pariter intelligendū de nitro cum sulphure cremato, cui supparia sunt salia vegetabilium cum ipso sulphure in crystallos redacta. Præ omnibus autem sulphur vitriolatum commendatur. Spiritus vitrioli philosophicus quoque cum fructu potui immiscetur, donec gratum acorem acquirat. Dosis quoque fit efficax, cum repentinam opem acutissimorum morbus desideret, quam ob causam etiam interpositis 6. aut 4. horis iterentur. Interea vero ad refocillandas vires mixturas cardiacas sæpius exhibere convenit, imprimis autem liquida hæc profunt, nisi ea vetet nausea vel vomitus.

mitus, tunc enim sicciora in minori dosi porrigantur, ut sunt condita, rob. conservæ & similia, aciditate omnia scatentia. Dum ergo hæc peraguntur, necesse est, ut cubicula nitida ac clausa sint, tempestate tamen ferentiore aëra per fenestram imittendo puriorem, hyeme autem ignis flammam largiorem semper alas, aut saltim ter interdum largiore flamma omne venenum in cubiculo hærens discutias. Æstate autem hac ipsa ignis flamma vix opus est, modo acetum sæpius affundas in cubiculum, aut rosas, vitis folia, itemque folia nymphææ, vel salicis per humum dispergas. Si sudor ex ægro propelli non possit, sacculos arenâ aut nucleis ceraforû impletos accalefactos alis ac pedibus supponas, aut eorum loco vesicas calidâ repletas, ut sudore eò facilius subsequatur, quod omnino ad huius morbi curationem requiritur. Omnes enim aliæ excretiones ple-

rum-

rumque perniciosæ sunt. Post sudorem tamen non opus est indusia alia induere, recens enim lota summè noxia sunt, teste Diemerbroccio.

In *Dieta* Pestiferorū hæc nota-*Dieta.*
tanda sunt, ut juscula vires reficientia parentur, consummata sic dicta. Præstantissimūm tamen hoc modo paretur.

Rç. Gallinam, aut pullum carnosum, vel caponem juvenem deplumem, ac interaneis bene mundatum, ac aceto aut vino lotum; Dein

Conscindatur ac contundatur una cum ossibus in minutas partes, addendo de crure ac hepate vitulino partem aliquotam, & si adsint perdices, coturnices & alaudæ, mundatas, priusque contusas hisce adde; Dein exprime succum è pomis citri recentibus 6. ac commisce illum cum hisce carnibus, parum de corticum flavedine addendo, quibus & pauxillum de maci addatur, itemqve de cinamomo, si placebit. Omnia coquantur in lagena bene obturata, incaldario aquâ repleto, à 4. ad 6. horas, postea per linteum trajiciatur, ac probè ex-
prima-

primatur, pinguedinem postquam refrixerit, desuper auferendo.

De hac Gelatina, quotiescunque jusculum adhibeatur, unum vel alterum cochlear admisceri poterit. Profunt quoque juscula hordeacea, ut & cremor hordei aceto aut succo citri imprægnatus, Potus quoque conficiatur e pomis citriis. Pauperiores autem poscam bibant, itemque Inlepi refrigerantes e syrups acidis haud aspernendi, & si febris nulla animadvertatur, de vino interdum unum aut alterum cochlear instar aquæ cordialis exhiberi poterit. Sedulo sibi ab aère exteriori caveant ægroti, ne, hoc incautius admissio, diaphoresis præpediatur, ac virus introrsum pellatur, & si alius per aliquot dies adstricta sit, pilulis Ruffi solvatur, clysteribus omnino neglectis, cum facile diarrhœam exitialem accersant. Venæsectionem ac Purgationes in Curatione Pestis omnino

nò damnamus, vesicatoria quoque raro adhibemus, nisi instar ruptorii iis uti velis ad bubones maturandos. Pests Præsidia peti licet ex Diemerbroccio, Barbette, Gifelero, Sylvio, quibus & Cardilucii Tract. de Peste adjungatur, hi enim tanquam oculati testes præ alis consulendi sunt. Quemadmodum autem in Curatione Febr. malignarum paulò negligentiores fuimus in comiscendis acidis inter Alexipharmaca, eò, quod tam necessaria tùm non æstimentur, licet intertexta acida & illic laudem mereantur, nihilominus tamen in nulla peste formula excogitetur, quin acido imprægnata sit, ex iis subjectis igitur depromenda, quæ satis commendavimus. Si enim accuratiores Practicos examinamus, semper eos acida in usum vocasse comperiemur. Qui ergo soli theriacæ, electuario de ovo, ovietano, pulveri Pannoniuo, bezoardico Sennerti, ac similibus fidem suam

F

dant,


dant, cum damno postliminio observabunt debilitatem horum remedium, nisi acidis sociata fuerint, & licet ob virtutem aromaticam ac balsamicam, ut & absorbendi vim, spiritibus animalibus proficua sint, nihil fecius tamen ad invertendum venenum pestiferum, vel, si mavis, expellendum, admodum inefficacia deprehenduntur, nisi confortium acidorum accedat. In sale ergo, sulphure ac acido, ut & in pice, aliisque resinosis, omnis alexipharmaca vis reposita est, de quibus consulatur Helmontius in Tumulo pestis, cujus hypothese omnes meliores Practici, si non aperte, saltem facile, assensum præbent, cum præter salem & acetum nil sit, quod putredini magis resistat, quibus, si placet, picem cum omnibus oleosis ac aromaticis adjungere licet. Ne vero aromaticorum oleosorum luxuries noceat, acidis, aut aceto infringi poterit.

In

In Curatione Symptoma-
 tum Pestis eâdem methodo in
 plerisque est procedendum, sicuti
 in Febrium castr. curatione tra-
 didimus. In opiatorum tamen usu
 singularis circumspectio tenen-
 da, ne iisdem largiùs exhibitis
 vel lethargum, vel soporem le-
 thalem accersamus, ex adverso
 autem, si vel vigiliæ, vel convulsi-
 ones, dolores quicunqve, fluxusq;
 colliqvativi eorundem usum ex-
 postulent, per breviora intervalla
 largiori dosi exhibeantur. Opem
 hic insignem præstaret opii extra-
 ctum cum aceto stillatitio paratû,
 de quo Wedelius in Opilogia con-
 sulendus. Ex præcipuis, ac pe-
 culiaribus Pestis symptomatibus
 sunt bubones, parotides, car-
 bunculi, ac exanthemata. Quoad
 Bubones, ea hic repetere licet, quæ
 Tr. de Febr. Castr. 339. seqv. pecu-
 liari Capite de Bubonibus dicta
 sunt, addendo ea, quæ commen-
 davit Sylvius peculiari Tract. de
 Peste: De Carbunculis itidem e-

*Symptoma-
mata.*

egimus ibidem, quibus Praxin Diemerbroccii ac Sylvii addas, qui ad mortificandum carbunculum butyro antimon. nil excellentius reperiit. Exanthemata, præter alexipharmaca interna, nil aliud poscunt. Hæc ergo sunt, quæ de Peste in medium proferre constituimus, solertem Practicum ad prædictos laudatos Autores ablegando, eorundem enim vestigiis insistendo vix à recto tramite aberrabit.



DE
FEBRIBUS
PESTILENTIALIBUS.



Vi de Peste diffusius scripsere, etiam hanc Febrim pestilentem sub illa comprehenderunt, alii autem hunc affectum inter febres malignas à peste diversas reposuerunt, hoc tamen obser-

observatione dignum est, pestilentem febrim ab ipsa peste solummodo gradu differre. In Peste enim exterius non semper febris animatvertitur, cum in febre pestilenti magni adhuc æstus conjuncti sint, neq; tam cito, sicuti pestis, hominem è medio tollat, cum etiam ultra triduum, quatrimum, 6. 9, vel plures dies, morbus protrahatur, dum ipsa pestis brevius hominem conficere solet, licet propter symptomata quædam æger diu lecto affigatur: Hæ tamen distinctiones in ipsa curatione parvi momenti sunt, & qui ipsi pesti ritè obviam ibit, æquè feliciter & febre medebitur, modo hoc saltem observet, ne, intensiori febre subsistente, vinum largius assumatur, quod in ipsa peste quoq; quandoqve instar cardiaci potus est, modo forbillatim hauriatur. Cum ergo in febre pestilentiali tota massa sanguinea prius omninò in putrilaginem abierit, ita, ut oleosa pars sanguinis, una cum lymphâ, ita resoluta sit, ac ope digestionis & putrefactionis in virulentia ita exaltata, ut inde facilè solida corporis consistentia eodem putrore inquinetur, unde etiam gangræna & sphacelus leviter inde accersuntur: Veteres, in hanc usque ætatem alii etiam Medici existimarunt, causam proximam hujus affectus

fectus esse venenum aliquod occultum, in quo investigando homini acumen ingenii deficiat, modo causas morales, modo astra, eorumque diversos aspectus accusantes. Verum Philosophus ac Medicus hisce haud acquiescere potest, dum meo quidem iudicio causa hæc satis patet ex pernici ejus effectu, modo intra cancellos permaneat. Intellectu enim haud difficile est, post magnas clades, calamitates inventas, annonæ caritatem, immodicas tempestates, fructus non benè maturos, & inde parata edulia, imo perversam victus rationem, humores in corpore humano omnino perverti posse, ut, si habitacula simul aëre squalido scateant, ac alias ambiens aër ob quascunq; causas frigidus sit, sensim ope fermentationis in suo putrore exaltentur.

*Signa
diagn.
& progn.*

Signa diræ hujus luis propter effectus subitaneos satis patent, & inde prognosin sumere licet: Quo magis enim vires constant, eò magis spes salutis elucescit. In omnimoda autem virium resolutione, nisi mox crisis subsequatur, sive per sudores, sive per abscessus, aut bubones aut parotides, exigua spes superest.

Cura.


Quamobrem, haud in longum protracto remedio, mox largiorem dosin alexiphar-

pharmaci exhibeas, etiam breviori intervallo iterandam, & si inde effectus subsequatur cum levamine, de ægri salute certiores erimus, modo aer externus frigidus arceatur. In febre hac pestilenti cum propter æstum etiam sitis urgeat, julepos refrigerantes acidos tanquam excellens remedium, largioribus haustibus propina, & si propter pauperiam nil aliud in promptu sit, sola posca defectum juleporum supplebit, id quod remedii genus apud Romanos in usu fuit, unde consuetudo erat, ut omnes milites acetum cum 2. aut 3. partibus aquæ mistum secum portarent, oxycratum Græcis dictum. Mansum pomum citri tam prophylacticum, quam curatorium est remedium, & si feliciter velis in hunc morbum triumphum agere, nullum alexipharmacum exhibeatur, nisi aceto, aut sale conspersum sit, cum hæc contra omnem putredinem præstantissima sint, largior enim salis usus hujus morbi causas antecedentes corrigat, ac per debita loca expellit, nec tam facile fiunt obstructiones à cruditatibus ortæ, si sal non negligitur in cibis, sic neque venenum hoc putrilagineum altas radices acquirat, si acetum aut alia acida cardiaca frequentius assumantur. Sunt, qui fonticulos, aut alia procurata ulcuscula, tanquam egregium prophyl-

phylacticum commendant, quorum fidem hinc elevare animus non est, concedo enim posse per has vias humorem excrementitium exstillare, attamen unico huic remedio non insisterem, nisi laudabilis diæta à tempore contagionis, & usus eorum, quibus putror arcetur, accedat, ut fusius tractatum est cap. anteced. Purgationes ac V. S. cum in mitioribus malignis perniciosæ sint, hinc quoque omnino damnantur. Februm harum symptomatis hic occurrendum, ut in aliis hujusmodi affectibus malignis.

Errata.

<i>Pag. Lin.</i>		<i>Pag. Lin.</i>	
1.	13. pro præstandis. lege præstant.	37.	13. p. hujusmodi l. animi.
4.	3. p. Lintil, l. Len-	46.	19. dele ira.
6.	19. p. Pharmacia l. Medicina.	51.	10. p. morbus l. bos
12.	18. p. exhibet l. exhibeat.	54.	9. p. deliquiæ l. quia
	20. p. mgais l. mag-	55.	18. p. gravissimè l. gravissimi.
13.	13. p. Illius l. Illius.	57.	2. p. mius l. minus.
19.	9. p. Bezoardiar, l. Bezoardicor.	72.	5. p. ubicunq; leg. ubiqve.
	ult. p. contra intra indicantes l. contraindic.	74.	9. p. ℥ l. unc. ℥.
36.	16. p. acciderint l. accesserint.	77.	14. p. sulphur, l. nitrum,
			Cætera prætermittit C. L. ipse benevolè corrigat.



A page



